



Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

30. Dies Augusti. Peccatori exordium est illuminationis; Humilitas
confessionis. S. Gregor. I. 23. Mor. c. 9.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](#)

30. DIES AUGUSTI.

Peccatori exordium est illuminationis ; Humilitas confessionis. *S. Gregor. l. 23. Mor. c. 9.*

Confes-
sio pec-
catorum.

Sedisti in tenebris , & in umbra mortis , dum fuisti contaminatus noxâ mortali , ut illumineris , humilieris. Profitere te peccatorem , confitere peccata , & omnia tibi erunt munda , dum illuminaberis ab eo , qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Esto ipse tibi & Judex , & carnifex , ut nec inimicus in te reperire possit , quod accuset , nec supremus Judex , quod condemnet. Nec longè tibi eundum est , ut Judicem adeas : nec laborandum , ut invenias ; in teipso est , in dō , tu ipse. Est hoc monitum D. Augustini : (a) *Ascende tribunal mentis tuae : esto tibi Iudex : torqueat te timor.* Non potes negare , quæ commisisti. Habes , qui te criminis insimulabunt , mille testes : habes , qui veritatem extorqueant , tortores ; testis tu ipse , & actor , rea conscientia , tortor. Peccatum ipsum , in hoc tribunali contra peccatorem adserit testimonium. Ne metuas : magis in te eris pius , quò magis saevus : quò eris severior tui accusator , eò opportunitior eris defensor. Patrocinantur mihi Petrus Blesensis : (b) *Dixi , Confitebor , & tu remisisti impietatem peccatime.* Si peccatum tuum aperias , dicit Dominus illud operio : si agnoscis , ignosco : si accusas , excuso : si te judicas , & condemnas , te nec judico , nec condemnno. Igitur damnat se , qui se non damnat. Optimū tribu-

(a) In Psa. 49. (b) In Job. c. 1.

tribunal , in quo confessus dirigitur ad veniam , non ad pœnam.

II. Fluit planè ambrosiâ , dum hæc scribit calamus Ambroſii : (a) *Confessio tua pœnitens , medicina est : ipsa te curat , nec patitur vulnus tuum , pati putredinem : sed mox ; ut ingemueris , superinducit inde nobilis cicatricem . Nemō te , crede mihi , melius refici , quām , qui fecit : nec alius justificat , quām , qui flagellat .* & curat . Mox , ut dixeris vitium tuum , illuc impensis adjutorium suum : hoc tantum expectat , ut fateari , mora non erit , ut saneris . Quid facilis , quām contractator debita , Deo solvere , ubi debiti confessio , ejusdem est absolutio ? O igitur , quanta pervicacia hominis rei ! aut scelus non agnoscere , aut si agnoscat , non erubescere , aut si erubescat , accumulate . Dementiæ verius est , quām pœnitentiæ : adhuc joacci , cachinnari , & alium , se voce , gestu , habitu , quām reum habere . Accipe , ex Aureo ore aureum placitum : (b) *Confusio est , peccare , non confiteri peccata : nunc autem neque necessarium præsentibus iustibus confiteri : cogitatione fiat delictorum exquisitio , absque teste sit hoc judicium . Solus Deus confitentem videat : Deus , qui non exprobrat peccata tua : sed solvit peccata propter confusionem . Persuasum habes , quod , nisi quis nunc confiteatur , omnino illuc confitebitur , ubi amplior traductio . Hic absque teste judicium , & tu quippe casti , condemnas . Illic autem , in medium totius orbis theatrum producentur omnia , nisi hic prius detegamus omnia . Confunderis confiteri peccata tua , confundere admittendo . Dic tu prior peccata tua , ut justificeras . Quis confunditur de opere , à quo fit justus ? Quis confunditur confiteri*

(a) *De Pœn.c.3.* (b) *Chrysost.ser: de penit. & confi-*

Augustus.

Tessera.

685

confiteri peccata, ut solvat peccata? Num ideo iubet con-
fiteri, ut puniat? non ut puniat, sed ut ignoscat.

III. Quid convictus enormis criminis, & à su-
premo Judice condemnatus ad rogum, si erecto
in umbilico fori ferali theatro, molestâ inditus tu-
nicâ, ac veste piceâ, tortore jam rogum succedente,
si possit tam atroci se absolvere non modò flagitio,
sed suppicio, unicâ prolatâ voculâ: quisquâm veram
foret inops mentis, tantum cruciatum perferrere,
quâm verbum unicum proferre? Quis, si ad tantam
redactus esset inopiam, ut nechaberet, sub quo de-
litesceret, teatum: cui insideret, scamnum: in quo
quiesceret, stratum: quo se tegeret, filum: quo se pa-
sceret, panem: sed, ut alter Job nudus, & omnibus
fortunis exutus, in olido jaceret, & squalleret sime-
to, possetque unius verbi beneficio, stare repente in
Iupremo felicitatis fastigio, & ex Codro fieri Cræsus,
& mutare fæculentum sterquilinium, in Regium
solium: possetne dari homo, qui hoc recusaret?
Confer jam statum hominis gratiâ privati, & letali
noxâ contaminati, cum statu hominis, qui ab homi-
num memoria, judicatus est, fuisse omnium homi-
num calamitosissimus: majus est discrimen, quâm
inter minimum punctum, & immensum spatum:
quâm inter atomum, & totum cœlum: & tamen
proferendo, non, ut David voce, sed tacito corde,
Peccavi: sis repente ex servo peccati, mancipio dia-
boli, reo gheennæ, inimico Dei, non tantum amicus,
sed Filius Dei. Cave ergo celare scelus. Est enim illud
nimirum quâm certum:

Crimina si celestis: tibi clandes ostia cali.

31. DIES